# GEMMAE NONNULLAE
# AUGURALES ET MYSTICÆ

EX MUSEO

VIRI PERILLUSTRIS

PETRI JOHANNIS MONRAD

DEPUTATI IN CANCELLARIA DANICA, REGI A CONSILIIS CONFERENTIARUM ATQUE EQUITIS ORDINIS DANEBROGICI.

EXPLICARE CONATUS EST

M. BIRGERUS THORLACIUS

PROFESSOR LINGUAE LATINAE ORDINARIUS, REGI A CONS. STATUS, ET ORD. DAN. EQUES.

HAVNIÆ.

EX OFFICINA SCHULTZIANA.

1821.

Al Reverendissimo Signore Scotti





Gemmarum antiquarum ea eſt, præter alias laudes, præcipua commendatio, quod priscarum nationum mores, ritus et opiniones fide nobis repræſentant. Nulla fere datur religioſæ, civilis, militaris, domeſticæ et omnino quotidianæ veterum vitæ pars, quin ex illis aliquid lucis poſſit nanciſci. Apud Græcos Romanosque, gemmarum ſcalptores integras habebant officinas, in quibus id egiſſe videntur, ut, quæ emtoribus maxime placerent, ideas lapidibus pretioſis exprimerent. In rebus mythologicis notiones quidem vulgo receptas univerſe ſequebantur, ſed ita, ut multa ſæpe ex proprio ingenio adderent, multa ad hominum, qui ipſorum opera

uterentur, lubitum accommodarent. Ad has aliasque rationes, quæ lubricam atque ad vera antiquitatis placita inde eruenda arduam faciunt glyptologiam veterem, accedunt novæ difficultates, ex recentiorum ſcalptorum dexteritate in arte veterum imitanda, quæ in multis monumentis maximæ jure cenſentur. Ex his nemo facile extricare ſe poterit, niſi qui plurimis talibus videndis eruditum oculum ſibi paraverit; ſed is quoque comperiet, habere priscam artem ſua indicia, habere antiquitatem certa ſibi veſtigia, quæ diligentem talium operum inveſtigatorem non fugiant.

Inter privatas Havniæ dactyliothecas locum honorificum ſibi vindicat ea, quam poſſidet Vir Perilluſtris P. J. Monrad, Regi a Conſiliis Conferentiarum, in Cancellaria Danica Deputatus atque Ordinis Danebrogici Eques. Uti tribus antea ſcriptiunculis quasdam ex iſta collectione gemmas memorabiles explicare atque illuſtrare conatus ſum, ita nunc gemmas XIV, partim animalia partim ſingulares notas inſcalpta habentes, quas tabula ænea huic libello præfixa ſiſtit, poſſeſſore liberaliter permittente, elegi, in quas commentarer. Ex primis octo lapidibus plerique aves augurales oſtendere videntur; nonus inſolitam habet aſinorum conjunctionem; quinque ultimæ gemmæ non aſtris ſolum, ſed et aliis ſignis myſticis doctorum poſcunt animi attentionem. Liceat de hiſce monumentis, quæ variis antiquitatum claſſicarum partibus lucem affundunt, ordine diſſerere.

## I.

De octo gemmis aves repræſentantibus primo loco erit dicendum. Numeris 1, 2 et 3 inſignitæ, in carneolo rubro, 5 ceteræ in lapide lazuli exſcalptæ ſunt. Si n. 8 exceperis, reliquæ omnes

aves exhibent roſtro hiſcente; id quod apertum avium auguralium indicium esſe videtur, ultimam vero excludere nolui, quia ei ſimiles in aliis dactyliothecis reperi. Omnes quidem ejus ſunt magnitudinis, quam habent delineationes in Tab. ænea datæ.

Cum noſtrâ intereſſet ſcire, quasnam aves gemmæ oſtenderent, conſului hac de re doctisſimum noſtrum Reinhardt, Profesſorem Hiſtoriæ Naturalis, in Zoologia præcipue habitantem; is ſententiam ſuam amice mecum communicavit, monens tamen, notas animalium characteriſticas raro in gemmis ab artifice adeo accurate esſe expresſas, ut certum quid de animalis ſpecie pronuntiare liceat. Juxta ejus ſententiam No. 1 avis eſt canora, pleno pectore cantillans; No. 2, 5, 7, alites ſunt aquatici ex familia anſerum. No. 3 gallinam esſe cenſet; de No. 4 ſibi non liquere profitetur; No. 6 ex robuſtiore corporis ſtructura avim rapacem dicendam judicat; nam licet roſtrum et ungulæ non optime quadrent, utraque tamen in hac, quam in cæteris avibus, validiora reperit. No. 8, microſcopio ſubjectum, pavonem esſe exiſtimat; id quod criſtula in capite prope roſtrum eminens, corporis poſitura, pedum altitudo nuditasque illi perſvaſerunt; obſervat cæterum caudam, cujus plenam longitudinem ſiſtere ſpatium non permitteret, gemmæ margine abruptam videri.

In pavone non longe morabimur. Iſtam avim, quippe Indicam, rariorem et pulcherrimam, in magno pretio habuisſe Romanos ſatis conſtat. "Huic natura formæ e volucribus dedit palmam," ait Varro;[1]) idemque[2]) "ſaginare, inquit, primus inſtituit

1) de re ruſtica III, 6.
2) ibidem.

circa novisſimum piraticum bellum M. Aufidius Lurco, exque eo quæſtu reditus ſeſtertium ſexagena M. habuit. Hortenſium ſecuti multi extulerunt eorum pretia ita, ut ova denariis veneant quinis, ipſi facile quinquagenis." Suetonio teſte,3) Tiberius ob pavonem e viridario ſurreptum, militem prætorianum capite puniit; Romanosque helluones imperatorum Auguſto proximorum tempore pavonum linguas et inteſtina palato dulcisſima reperisſe, ejusdem Suetonii lectores meminerunt. Non mirum ergo pavones a ſcalptoribus ſæpe repræſentatos fuisſe. In muſeo Chausſei 4) pulcher cernitur pavo tab. 153, et in Dactyliotheca Stoſchiana plures tales commemorantur. 5) Sed pavonem nunc quidem mittimus, ut ad aves augurales veniamus.

Ars auguralis pars erat late patentis ſcientiæ divinatoriæ, quam Romani ab Etruſcis didicerant. Habet Cicero in opere de Natura Deorum, ſed imprimis in libris de Divinatione, habet Pompejus Feſtus in Lexico de verborum ſignificatione inſcripto multa, quibus disquiſitio de Romanorum auguriis posſet ſuperſtrui. Cogit hic locus nos intra ea manere, quæ res propoſita poſcit. Commemorat Tullius 6) libros Etruſcorum haruſpicinos, fulgurales et tonitruales; nominat *libros Romanorum augurales;* mentionem etiam facit 7) plurium Græcorum, qui de hoc argumento ſcripſerant, ex quibus duo erant Chryſippi Libri de divinatione, unus de oraculis, unus de

---

3) Tiber. c. 60.

4) Le gemme antiche ſigurate di *Michel Angelo Cauſeo de la Chauſſe,* in Roma 1700. 4to.

5) p. 555-56.

6) Divin. I, 33.

7) ibid. c. 3.

fomniis; unus liber Babylonii Diogenis, ejus auditoris, duo Antipatri, quinque Pofidonii.

Cum ex præfatione, editioni librorum Joh. Laur. Lydi de magiftratibus reipublicæ Romanæ[8]) præmiffa, Car. Bened. Hafium præfationis auctorem (virum folide eruditum, atque ut plurium doctorum operum auctorem, ita celebrem Leonis Diaconi aliorumque Byzantinorum editorem), libellum ejusdem Lydi *de oftentis* cum commentario typis præparaffe fcirem, amicum meum Hylandrum Doctorem Philofophiæ in Univerf. Lundenfi, exquifitæ eruditionis juvenem, qui Parifiis aliquot menfibus morabatur, per literas rogavi, ut Hafium adiret, meoque nomine copiam expeteret iftud Lydi *ἀνέκδοτον* infpiciendi, atque, fi quid forte ad fontes librorum Ciceronis de Divinatione cognofcendos illuftrandosque pertineret, in meos ufus exfcribendi. Hic librum cum Hylandro benigne communicavit. Sic comperi,[9]) opus Lydi forte hoc ipfo anno proditu-

8) *περὶ ἀρχων τῆς ῥωμαΐων πολιτείας,* per Joh. Dominic. Fuss. Parifiis 1812. 8vo.

9) Liceat ipfam Hafii Viri Cl. ad Hylandrum epiftolam Parifiis, d. XII. Martii fcriptam, hic inferere. "Ich hätte gewünfcht, verehrtefter Freund, meine Ausgabe des Lydus: *De oftentis*, wäre fchon erfchienen, um Ihnen einige Exemplare, für fich felbft und für Hn. Profesfor Thorlacius, anbieten zu können. So aber habe ich dem Gedanken, wie ich ihn in der Vorrede zu dem Buche: De magiftratibus §. XXXVI. äufserte, aufgegeben; theils wegen Hn. von Choifeuls Tode, der Lydus Werke fehnlichft gedruckt zu fehen wünfchte, theils wegen der von mir feitdem angefangenen Ausgabe ungedruckter Byzantiner. Indeffen werde ich die kleine Schrift: De oftentis vielleicht diefen Sommer fchon erfcheinen laffen, aber nicht mit dem commentarius perpetuus, den ich verfprach, nicht mit den Parallelftellen aus ineditis u. f. w. (welches alles dem Werkchen vielleicht einigen Werth gegeben hätte) fondern nur den Text und meine lateinifche Ueberfetzung. Beide theile ich Ihnen hier in meiner Hand-

rum, atque de argumento ejus ſequentia ab Hylandro meo edoctus ſum: Initio libri J. Lydus fontes ſuos adſert, quos inter graviſſimum cenſet Opus Tarchonis, idque continere dicit colloquium, inter Tagetem atque Tarchonem; dein memorata Tagetis e periculo liberatione ſic pergit: "Tarchon major (nam alter quoque inferioris ætatis fuit Æneæ temporibus in bello verſatus) cum puerum ſublatum locis ſacris depoſuisſet, petit, ut ſe quid arcanorum edoceat. Quæ rogaverat, impetrat. E pronuntiatis librum conſcribit, in quo interrogat Tarchon Italo noſtro vulgari ſermone, reſpondet Tages, literas vetuſtas, neque ita nobis cognitas, retinens in reſponſis. Sed tamen, quantum in me fuit, cum ex interrogationibus, tum ex auctoribus aliis, qui hos interpretati ſunt, h. e. Atejo Capitone, Fontejo, L. Apulejo..... [pro Βωελλίου, quod in textu legitur, legendum conjicit Haſius: Cn. Gellio], Antiſt. Labeone, P. Nig. Figulo, C. Plinio naturalis hiſtoriæ ſcriptore, conabor ea vobis enarrare." Argumentum libri ſui tale proponit: "De ſolis et lunæ obumbrationibus, de cometis deque diſcrimine inter ipſos, de ſulcis et trajectionibus ſtellarum, de fulgetris, tonitribus, fulminibus, *de reliquis per aërem prodigiis:* poſtremo de terræ motibus, incendiis et de divinatione, quæ inde fiat." Ex ſcriptis peregrinis deſumſit J. Lydus hæcce diaria: "1. Diarium tonitruale et

---

ſchrift mit. Ziehen Sie aus dem Buche aus, was Sie für Hn. Prof. Thorlacius wichtig glauben, z. B. die Erzählung von Tages Schriften. Ihren gelehrten Freund, deſſen treffliche Arbeiten ich wohl kenne, und die mir oft nützlich waren, ſchätze ich ſo ſehr, daſs ich die Gelegenheit mit Freuden ergreife, zu Beförderung jener das wenige, wass ich kann, zu thun. Mit wahrer Hochachtung und Ergebenheit ganz der Ihre....

Haſe."

locale, juxta lunam, ſecundum P. Nigidium Figulum, ex ſcriptis Tagetis expresſum ad verbum. 2. Tonitruale ex ſcriptis Fonteji translatum ad verbum. 3. Ἐφήμερος τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ, ἤγουν σημείωσις ἐπιτολῶν τε και δυσμῶν τῶν ἐν οὐρανῷ φαινομένων, ἐκ τῶν Κλαυδίου τοῦ Θούσκου καθ᾽ ἑρμηνεῖαν πρὸς λέξιν." Hactenus Hylander. Si prodigia per aërem intellexit J. Lydus de avium apparitione, in hac forte ſectiuncula reperientur, ubi opus prodierit, quædam auguriis illuſtrandis inſervitura. Fontes nonnullos, nunc deperditos, eum cum Cicerone communes habuisſe, non eſt quod dubitemus. Cæterum ecquis illa de Tagete legens, non in memoriam revocabit hæcce Ciceronis verba: [10]" Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, quum terra araretur, et ſulcus altius esſet impresſus, extitisſe repente, et eum affatus esſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris eſt Etruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus, ſed ſenili fuisſe prudentia. Ejus adſpectu cum obſtupuisſet bubulcus, clamoremque majorem eum admiratione edidisſet, concurſum esſe factum, totamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisſe: tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint literisque mandaverint: omnem autem orationem fuisſe eam, qua haruſpicinæ diſciplina contineretur; eam poſtea crevisſe rebus novis cognoſcendis, et ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipſis; hæc ſcripta conſervant; hunc fontem habent diſciplinæ."

Ut ad aves redeamus, ſumebant Romani auſpicia triplici modo, videl. ab illis ſive *cantantibus*, ſive volantibus, ſive *edentibus*. Primum ultimumque in gemmis, de quibus agimus, reſpici-

10) De Divinatione L. II. c. 23.

tur. Aves ex priori genere dicebantur *oscines*, nempe, ex Appii Claudii apud Pomp. Festum explicatione: "quæ ore canentes faciebant auspicium, ut corvus, cornix, noctua;" quæ vero volatu auspicium faciebant, appellabantur præpetes, vel alites. Memorat Festus plura epitheta ipsis data, quæ de totidem in arte observatis diversitatibus monent, uti sinistras, funebres, arculas, remoras, inebras,[11]) clivias[12]) cæt. In tertio auspicii genere, quo ad *avium esum* adtendebatur, galli gallinacei, atque pulli præcipue observabantur, sed (Cicerone, qui ipse augur erat, diserte testante)[13]) habebatur vetus collegii decretum, *omnem avem tripudium facere* posse. Tullius, qui in libris laudatis identidem asserit, suo tempore augurum diligentiæ multum decessisse, memorabilem de tripudio habet locum, quem hic apponere non poenitebit. "Hæc[14]) certe, quibus utimur, sive de coelo, simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo. Q. Fabi, te mihi in auspicio adesse volo; respondet: audivi. Hic apud majores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet. Peritum autem esse necesse est eum, qui, silentium quid sit, intelligat. Id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere perfecti auguris est. Illi autem, qui in auspicium adhibetur, quum ita imperavit is, qui auspicatur: dicito, si silentium esse videbitur: nec suspicit, nec circumspicit; statim respondet: silentium esse videri. Tum ille: dicito, si pascuntur — pascuntur. Quæ aves, aut ubi? Attulit, inquit, in cavea pullos is, qui ex eo

11) ɔ: arcentes, morantes, inhibentes.

12) ɔ: prohibentes, quia clivia sunt difficilia.

13) de Divin. II, 35.

14) de Divin. II, 34.

ipſo nominatur pullarius. Hæ ſunt igitur aves internuntiæ Jovis, quæ paſcantur, necne, quid refert? Nihil ad auſpicia; ſed quia, quum paſcuntur, neceſſe eſt, aliquid ex ore cadere, et terram pavire, terripavium primo, poſt terripudium dictum eſt: hoc quidem jam *tripudium* dicitur. Quum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium *ſoliſtimum* nuncupant." Cum hoc loco conjungendus erit alius, libro ejusdem operis primo,[15]) qui ei non contradicit, modo meminerimus, Ciceronem in priore de divinatione libro fratris Quinti (religioſioris) cautius, in poſteriore libro, ſuo nomine, liberius loqui. "Noſtri quidem magiſtratus *auſpiciis* utuntur *coactis*. Neceſſe eſt enim, offa objecta, cadere fruſtum ex pulli ore, quum paſcitur. Quod autem ſcriptum habetis, tripudium fieri, ſi ex ea quid in ſolum ceciderit; hoc quoque, quod dixi, coactum, tripudium ſoliſtimum dicitis. Itaque multa auguria, multa auſpicia, quod Cato ille ſapiens queritur, negligentia collegii, amisſa plane et deſerta ſunt."

Si vera eſt, quam nuper laudavimus, Marci Tullii asſertio, ex collegii augurum decreto *omnem avem* tripudium dare poſſe, non eſt, cur longe aut anxie ſcrutemur, quales ſint aves in ſeptem gemmis expresſæ; ſed convenienter notis, quas ut ante attulimus Zoologia ſuppeditat, ſtatuere poſſe nobis videmur, aves ad tripudii augurium deſtinatas agnoſcendas esſe, n. 3. gallinam, n. 2, 5, 7. tres anſeres; de quibus animalibus præterea conſtat,[16]) ea in memoriam beneficii Gallis arcem aggredientibus Romæ præſtiti, in Capitolio (videlicet in curia Calabra) fuiſſe alita; quare etiam prima Cenſo-

15) de Divinat. 1, 15.
16) cfr. Liv. V, 47. Plin. H. N. X, 22.

rum quovis anno cura erat,[17]) anſerum ſacrorum alimento providere. Nus 4$^{tus}$ in eadem claſse ſine dubio ponendus erit. Cum ſciamus, pullarios, talia auſpicia capturos, aves ad hanc rem eſurie præparaſſe, credere fas eſt, apertum avium roſtrum earum aviditatem exprimere offam, ipſis tali occaſione dari ſolitam, captandi. Superſunt ergo, qui forte oſcines cenſendi, n. 1 & 6, quorum hic, quippe rapax ales, in corvorum, cornicum vel ſimili familia quærendus; ſed n. 1. avis eſt cantatrix, ramulo, malogranatum in ſummo habenti, inſidens. Hicce fructus, quem mythicum fuiſſe certum eſt, ſuſpicionem excitare poſſet, de remotiore et myſtico hujus repræſentationis ſenſu; verum cum gemma minus certæ, quam reliquæ, antiquitatis eſſe videatur, hanc de malogranato disquiſitionem alii loco ſervare malumus.

## II.

Gemmam, quam n. 9. ſiſtit, ſingulatim examinandam ſumimus, quia ſcalpturæ præſtantia, et repræſentationis infrequentia id meretur. Carneolus ruber eſt, magnitudinis quam tabula ænea indicat, operisque accuratione et lævigatione indicia antiquitatis præ ſe fert indubia.

Cernuntur quinque aſini, arte omnes feliciter expreſſi. Uti toto corporis habitu hæc animalia facile cognoſcuntur, ita longioribus præcipue auribus. Ligamen, quod circa collum habent, vix aliud eſſe poteſt quam frenum; ut adeo gemmæ argumentum dici poſſit ſtabulum aſininum.

Iſtam rem in opere vetuſtæ artis tractari, nemo antiquitatis gnarus mirabitur. Creuzerus, mythologiæ veterum callidus, ſiquis,

17) Teſte Plutarcho in Quæſtionibus Rom. §. 98.

interpres, in libro: Symbolik und Mythologie der alten Völker, P. 3. L. 3. Cap. 2. §. 11 & 12,[18]) quantum iſtud animal cum ſacris myſticis, iisque magnæ priſco ævo venerationis, cohæſerit, ingenioſa diſputatione ubertim oſtendit. Uti loquentem Bileami aſinum biblia ſacra memorant, ita quoque in mythis Bacchicis et Priapicis idem occurrit, ſic quidem, ut hæc fabula etiam Jovis Dodonæi, inter numina Græciæ antiquisſima referendi, cultui arcte esſet innexa. Aſinus, ut animal propheticum, Apollini erat ſacer, quia rudendo aëris rationes prædicere credebatur; ob laſciviam Baccho putabatur placere, et ſymbolum habebatur fervoris vino atque ebrietate producti; atque, uti certum eſt, varias ſacerdotum et myſtarum claſſes nomina gesſisſe urſorum, columbarum, apium, uti in Ægyptiorum myſteriis iidem corvi, aquilæ, leones nuncupabantur, ſic haud improbabile cenſebitur, nonnullis myſtis aſini appellationem fuisſe impoſitam. Plura forte hac de re invenientur in Theod. Haſæi Onolatreia 1716 forma 4[ta]; verum iſtius libelli exemplar nanciſci huc usque mihi non contigit.

Gemmam ad ſeculum 2[dum] vel 3[tium] a Chriſto nato refero, repræſentationemque in ea obviam ſic intelligo: Cum iſto ævo myſteria, ab Aſia præcipue profecta, vulgaria esſent, et ipſa evulgatione vileſcerent, erant multi, qui ſacrorum arcanorum involucro abuterentur non ad nugas ſolum et inania, ſed ad res turpisſimas et quam maxime obſcoenas patrandas. A Marci Aurelii Philoſophi tempore id imprimis uſu invaluisſe, docet hiſtoria. Cordatioribus hominibus non poterant non displicere tales ineptiæ; atque ingenioſi ſcriptores, ut hanc et opinionum et morum pravitatem tutius taxarent, aſini

---

18) 2[te] Ausgabe Leipzig und Darmſtad 1821. Vol. 3, pp. 200-230.

involucro suarum historiarum librorumque argumentum induerunt. Hoc animal, quippe auritum, istas vesanias bene audiebat; bruto pecori nil tegebatur, nimirum quia nullus metus erat, ne visa vel audita, si vel maxime nefanda essent, eliminaret. Photius in Codice Bibliothecæ 129 refert, *Lucium* quendam *Patrensem* transformationum varias narrationes pluribus libris (nunc deperditis) conscripsisse. Superstitem habemus *Luciani* Samosateni libellum Λούκιος s. Ὄνος inscriptum.[19] *Appulejus* denique Madaurensis in Metamorphoseon Libris XI.[20] idem propositum sibi habuit, eodemque propositi tegumento, sed multis et sæpe longis digressionibus variato, usus est. Cum duobus prioribus Lucii Patrensis libris magna cum Luciani ὄνῳ similitudo intercederet, dubitabat Photius, uter ex altero sumsisse credendus esset, id unum addens, quod Lucianus ridiculum magis sectatus fuerit, Lucius contra res prodigiosas serio et per longas ambages attulerit. Judicabat, non sine ratione, Wielandius, a Luciani ingenio haud exspectandum, ut alium exscriberet. Statuendum forte, et Lucium, et Lucianum ex eodem de asini migrationibus fonte, sed diverse, pro suo utrumque more, hausisse. Si superesset auctor Patrensis, illi, quatenus ex Photio judicare licet, Appulejus longe, quam Lucianus, similior, sine dubio reperiretur.

Ut videat Lector, qualis seculo 2$^{do}$ p. Chr. tenor esset narrationum de asino circumlatarum, Luciani (quem Appulejo multo ingeniosiorem scriptorem esse omnes fatentur) ὄνȣ argumentum pau-

19) Luciani Samosateni Opera, cum nova versione Tib. Hemsterhusii et J. M. Gesneri, multisque multorum notis ed. J. Fr. Reitzius T. II$^{do}$. Amstelod. 1743. in 4$^{to}$. p. 567-625.

20) cfr. Editio Franc. Oudendopii. Lugd. Batav. 1786 in 4$^{to}$.

cis apponam. "Profectus erat Lucius ad urbem Thesſaliæ Hypata dictam. Hic cum audisſet, uxorem hoſpitis, artis magicæ peritam esſe, ab ancilla, quam in ſuas partes traxerat, impetrat, ut mulierem, noctu ſeſe in corvum mutantem, obſervaret. Quo viſo ipſe ejus rei periculum facturus, pyxidem ab ancilla accipit, ſed hujus errore talem, qua in aſinum mutaretur. Promiſerat ſerva, ſe cum prima luce roſas, ut in formam humanam rediret, ipſi edendas præbituram; verum antequam id fieret, in ſtabulum abductus erat. Eadem nocte irrumpebant prædones aſinumque præda onuſtum abigebant. Narrantur jam ejus inter latrones fata; quibus captis in mulionis maligni manus incidit. Poſtea in Macedoniam abductus cinaedo vendebatur, qui Deam Syriam per pagos circumferebat; ita teſtis erat omnium fraudum, ineptiarum et flagitiorum, quæ homines myſteria iſtius Deæ venditantes committebant. Deinde in piſtrinum abigitur; poſtea ab olitore emitur; denique in manum venit ſervi prædivitis viri. Hic cum cibo et potu non aſinorum, ſed hominum veſcens, adeoque cum muliere libidinoſa rem habens inſignem ſe reddidisſet, tandem, ut populo ſpectaculum præberet, in theatrum abductus, roſas videt, quibus devoratis formam humanam recipit." Cum inter diverſas hominum imprimis ex plebe, clasſes, prædones, muliones, olitores, myſtas circumforaneos et ſervos circumduceretur aſinus, patebat ingenio Luciani largus campus ad ſingulorum deſcriptiones digrediendi; ex quibus elucet, quantopere in vulgo myſtica ſuperſtitio tum dominaretur. Sed præcipue elucet id, de quo hic quærimus, aſinum in myſteriis ceu mythicarum narrationum involucrum ſrequentisſime tum fuisſe adhibitum.

In allatis itaque ſat rationis reperio, cur in gemma noſtra aſini ſint expreſſi. Cur autem potisſimum quinque ponerentur, mihi non liquebat. Conſulebam hac de re virum, quo nemo apud nos in hiſtoria myſticismi verſatior, Profesſorem Celeberrimum Vedel-Simonſen. Is ad hanc aliasque de hiſce gemmis quæſtiones amice reſpondens, ingenioſam propoſuit ſententiam, numerum quinum electum esſe, maxime habita ratione pentagoni, in myſteriis antiquis ſæpe occurrentis, idque tanto potius hic factum, cum ipſa vocum πενταονος (quinque aſinorum repræſentatio) et πενταγονος ſoni ſimilitudo ad id invitaret. Huic ſententiæ lubens ſubſcribo; nam veteres in myſticis imaginibus talem ſoni ſimilitudinem ſpectasſe, res eſt exemplis nimis teſtata, quam ut de ea dubium ſuperesſe posſit. Idem vir acutisſimus cenſet, et gemmas, quæ aves, et hanc, quæ aſinos ſiſtat, in myſtarum gratiam fuisſe elaboratas, ut ab illis ceu ſigilla characteriſtica adhiberentur; quam opinionem ſane non improbabilem Lectorum judicio ſubmittere malo, quam in re incerta aliquid certi pronuntiare.

## III.

Venimus ad ultimas quinque gemmas, in tabula ænea exhibitas. Sunt omnes in lapide lazuli exſcalptæ. Posſeſſor earum Perilluſtris n. 10 et 11 cum n. 13 et 14 conſerendo autumabat, gemmas vitri eas esſe dicendas, exprimique cordis humani cum vitro quoad fragilitatem et inconſtantiam ſimilitudinem. Huic opinioni quantum pulchri inſit, quisque intelliget, qui fidem hominum haud raro pellucidiorem vitro esſe compererit; id vero maxime obeſt, quod duplex pro ſimplici V poſitum cernitur. Mihi gemmas, quæ in celebribus dactyliothecis cum his comparandæ oc-

currant, circumſpicienti, alia in mentem venit ſententia, quam hic proponam.

Duæ ſunt lapidum ſcalptorum claſſes, quæ his illuſtrandis inſerviunt; una aſtriferorum, altera Abraxeorum. De illis agit Ant. Franciſci Gorii Theſaurus gemmarum aſtriferarum, interprete Joh. Bapt. Pasſerio;[21]) Abraxeos vero nuper doctisſime tractavit Joh. Joach. Bellermann[22]). Stellæ, quatuor gemmis Monradianis impoſitæ, dubitare non ſinunt, magicum quid in illis quærendum; et n. 12. uti lucem illis affundit, ita vicisſim ab illis foeneratur. Superſtitionis a ſeculo inde 2do p. Chr. n. invaleſcentis pars erat, quod aſtris vim ſingularem in vitam et fata mortalium homines vulgo tribuebant; dumque id in artis quoque monumentis ſtudebant exprimere, ut ea ceu amuleta circumferrent, haud mirum eſt, in gemmis ſidera ſæpisſime cerni. Hæ, cum aliis, gentilium opiniones ad Chriſtianos dein tranſibant, atque in Chriſtianorum monumentis haud raro occurrunt. Suſpicor lapidis heic nobis propoſitos ex iſto esſe genere, eosque ſic interpretor:

*a)* N. 10 et 11. oſtendunt præter ſtellam, (ſidus videlicet magicum) Jovæ nomen abbreviate et myſtice ſcriptum. Gemmas aſtriferas, et Abraxeas in variis libris deſcriptas inſpiciendo animadvertetur, quantopere ingenioſitas humana ſibi placuerit in ſancto iſto nomine varie exprimendo. Ipſa Abraxæ appellatio, ex duabus vocibus Ægyptiacis Abrak et Sax[23]) (o: benedictum ſ. auguſtum et venerandum nomen) compoſita,

21) tribus Voll. in Fol. Florentiæ anno 1750.

22) Verſuch über die Gemmen der Alten mit Abraxas-Bilde. 8vo. 1817. 1818. 1819. 1stes, 2tes und 3tes Stück.

23) Cfr. Bellermann l. c. p. 49. 1stes Stück.

vocis ſanctitatem innuit. Quoad ſcriptionem divini nominis ſatis eſt notabile, quod interdum quidem IAO (ut O ſit ὀμικρόν) reperitur;[24]) verum ubi Omega ponitur, literæ hujus forma, rarius rotunda eſt (Ω aut ω), ſed plerumque angulata, ità ut ad duplicis V ſimilitudinem accedat (W fact. ex ω) et apices valde acutos habeat. Sic apud de la Chauſſe tab. 137, Gorium tab. CLXXXVI et CLXXXIX, Bellermann Faſcic. 1. p. 37, Faſcic. 2. p. 27. cæt. Præterea ipſæ vocis literæ mutando, invertendo, circumponendo, dividendo atque abbreviando vehementer variantur. Habetur Abraxas,[25]) in quo ſcutum eſt, 5 lineis Jovæ nomen, cum quadruplici varietate ſiſtens, npe: HAI. HAI. HIW. AIW. IAW. ɔ: jaë, jaë, jeo, jao, jao. In gemma magica apud Gorium tab. CLXXXIX. legitur (inverſe) WAI (jao), in tab. CXC, gemmà eàdem, quæ ad latus inſcriptum habet IAO, legitur in margine inferiori AW; et in tab. CLXXXVI. ubi figura eſt alata, utraque manu baculum cum capite canino ſuſtinens, a lateribus capitis, pileo et tridente ornati, legitur AW. Hæc ultima abbreviatio tanto magis placebat, cum alpha et omega præeunte Apocalypſi Johannea dignisſima numine appellationis contractio videretur. His ad gemmas n. 10 et 11. applicatis, video in illis notam IW (ɔ: *Jo*, pro *Jao*); uti apud Gorium T. II. P. 267. n. 101, occurrit (bis poſitum) Iω, Iω, et in collectione Thomæ le Cointe apud Chifletium Fig. 9[26]) leguntur in ſcuto ad dextram Abraxæ partem, quinque lineæ, quarum IV

24) ap. Gorium in gemmis Aſtriferis tab. CXC. Vol. 1.

25) cfr. Bellermann Faſcic. 2. p. 26. n. 13.

26) et apud Gorlæum Fig. 333.

priores habent voces Ægyptiacas MAI MVM VX LVM (ↄ: ὑπόστασις, πηγὴ, σωτηρία, ψωμίον), ultima ωι ↄ: *jo (jao)* inverſe ſcriptum. Sed in Monradianis id novum eſt, quod I non verticali, ſed horizontali linea pingitur, apicibusque literæ W (ↄ: omega) adeo arcte innectitur, ut cum ea unum velut characterem efficiat.

*b)* In n. 12. aliud eſt artificium in exprimendo auguſto numinis ſupremi nomine, idque, ut memorabile, ita ingenio hominum, ejusmodi amuleta et fabricantium et geſtantium, ſatis conveniens. In Gemmis Abraxeis plures in iſto nomine ſcribendo inverſiones jam notavimus. Nunc adtendere imprimis juvat ad iſtud commentum, quo eædem voces et directe et retrograde ponebantur, ita ut vocabulum in medio poſitum utrisque commune, et ad utrasque referendum esſet. Sufficiet duo exempla afferre. In Dactyliotheca Tasſiana[27]) et alibi habentur Abraxæ, circumſcripti literis Græcis ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ. Sunt voces *Ab lan atha* et directe et retrograde expresſæ, ſic ut utrique ſententiæ commune ſit vocabulum *atha* in medio poſitum. Verba ſic erunt intelligenda, ut Bellermannus et alii docuere: אַב לָנוּ אַתָּה tu (ens divinum) nobis pater es. Ea vero amuleta tanto libentius affero, cum biennio abhinc repertus ſit in antiquo quodam ſepulchro inter multa aurea cimelia in Fionia globus aliquis cryſtalleus ſimili nota inſcriptus. In Abraxa nuper memorato, nomen Jao cum quadruplici varietate in ſcuto exhibente, in ſuperiore gemmæ parte ſupra flagellum, capiti galli gallinacei immi-

27) A deſcriptive Catalogue of engraved gems by James Tasſie, deſcribed by R. E. Raspe. London 1791. 4to. Vol 2 tab. VIII. n. 355.

nens, legitur inſuper hæc nota: IAWAI. Ea vero eſt *Jao*, et directe et inverſe ſcriptum ita ut W utrique voci ſit commune. Similem inverſionem, ſed verticalem, in gemma Monradiana n. 12. reperio, legoque AWAW, literis ſibi ita inflexis, ut W (o: ω) bis poſitum ſit $\binom{W}{M}$, A item $\binom{V}{A}$, verum hoc quidem ductibus adeo artificioſe textis, ut ad utrumque W, et rectum et apicem inverſum habens, poſſit pertinere. Videmus ergo in hoc amuleto *Dei nomen per alpha et omega bis repetita expreſſum;* quo omine nullum beneficentius credi poterat lapidis geſtatori.

*c)* N. 13 et 14 amuleta eſſe cenſeo amatoribus et amatricibus idonea, dum videlicet putarent, efficacem aſtri vim, non ſine effectu fore ad corda mutuo affectu permovenda.

Cum ſic mihi explicuiſſem harum gemmarum repræſentationes, conſului de iis etiam, ut debebam, doctiſſimum noſtrum Profeſſorem Vedel-Simonſen. Ingenioſam ejus gemmarum 10 et 11. interpretationem nefas foret reticere. Exiſtimat mecum, W eſſe omega, ſed alpha reperit in ſidere, quia vox Ἄστρον ab alpha incipit, et ſoni ſimilitudinem venari ſolebant amuletorum fabricatores. Sententiam, quam de ultimis quinque gemmis vir harum rerum peritiſſimus epiſtola d. 25 Maji h. a. data, mecum communicavit, liceat hic apponere. Putat figuram n. 12. expreſſam, eſſe myſticum ✡ aliquantisper variatum, quod mutuam actionem inſigniat duorum oppoſitorum, ignis (△) et aquæ (▽); (cum iſtæ notæ vel hodie in Chemia adhibeantur ad duo ea elementa inſignienda;) quod univerſe mutuam actionem entis quod dicunt virilis (agentis) et feminei (patientis) in regno naturæ intellectuali, morali & phyſico denotet.

"Quamvis [verba ſunt epiſtolæ] nota n. 12 videri poſſet eſſe iſta Dokana, quam Plutarchus initio libelli περὶ φιλαδελφίας memorat, ceu ſignum Dioſcurorum, æque tamen certum eſt, Gnoſticos notam gemmæ impreſſam diagramma vocaſſe, quod vocabulum interpretari vellem quaſi dyogramma, ex duabus junctis literis ſ. diphthongo compoſitum. Nec minus certum de n. 13 et 14, Ægyptios terram (Ægyptiacam tellurem) atque adeo Iſidem figura cordis repræſentaſſe; nam quando coelum atque Ægyptum ſ. coeli in tellurem Ægyptiacam vim ſiſtere volebant, teſte Plutarcho (de Iſide et Oſir. p. 354) focum ignis, et ſuper eo cor, itaque $\frac{\nabla}{\Delta}$, ⊠, vel ✡ pingebant, quia cor Ægygti ut ignis coeli ſymbolum erat (p. 364); quare quoque arbor Perſea Iſidi erat ſacra, quia fructus illius ſpeciem cordis refert (p. 378). Hæc itaque fuit ratio, cur triangulus, præſertim univerſus, ſive Delta inverſum (▽), Ægypti ſ. Iſidis ſymbolum eſſet. Stella contra coelum vel Oſiridem coeli regem forte inſigniebat, cum ille Deus per oculum ſymbolice exprimeretur (p. 354), oculus vero ſol eſſet (Jablonſki I, p. 124-25), maxima quippe, prima et gravisſima coeli ſtella." De his penes cordatum lectorem judicium eſto. Ego quidem interpretationem prætuli, quæ et ſimplicisſima, et repræſentationibus, quas aliæ gemmæ offerunt, non incongrua videretur.

---